



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Duacensis n. 33

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

quando non sapiunt? quando non patiuntur? *Hæc ille, & quidem ad Societatis commendationem elegantissime.*

32. A LUDOV. MAIORANO GRAVINAS *Lib. 2. de vero Dei cultu cap. 17.* Nobilissimum (inquit) Societatis IESV Institutum suppeditasse Ecclesiæ homines nihil non molientes in sanæ doctrinæ tuitionem, & profeminationem, eiusque Operarios optimis moribus, & scientia instructos per totum fere Orbem insigniter promouisse Dei gloriam; multa que sancte, & generosè molitos, ex quo cælitus ad instaurandam, & propugnandam labentem Ecclesiam aduenerunt. *Ita apud P. Reynaud. in Trinit. Patriarchar. fol. 598.*

*Ij optimis moribus ac scientia instructi insigniter Dei gloriam promouent. Et ad propugnandam, propugnandamque labentem Ecclesiæ litus missi.*

33. ADVACENSI Iuvene, qui cum Parentibus suis esset admirationi ob insolentiam vitæ pristinæ, sic iam pœnitens exclamavit. Quid admiramini? Dæmon ipse istorum Patrum manibus conuerteretur ad meliora. *Tanta de Iesuitis opinio vel apud hominem perditissimum. Ita in Annal. Soc. anno 1609. fol. 239.*

*De illis celebre dictum.*

34. \* AB STEPHANO GARIVAY *Historiographo Peruanus in Compendio Histor. Reg. Hispan. lib. 30. cap. 75.* Omitto (inquit) res æterna dignas memoria, quas toto Orbe præstitit Societas IESV ad fidei Catholicæ amplificationem, propagationemque, quibus exarandis, nec solertissimi scriptoris stilus quamuis exercitatissimus, par esse possit: prius enim egregia Societatis facinora scribentem, tempus & vita deficeret, quàm materia. Certe volentem me in lucem edere quam plurima ad præclaram illius Religionis commendationem prohibuit ex ipsa Societate non nemo, cuius desiderio, & modestiæ nunc faciendum satis existimaui. Aliàs ego opportuno loco & tempore propensæ meæ in Societatem voluntati faciam satis. *Hæc ille.*

*Societas commendatur ex fidei amplificatione per totum orbem.*

35. A IOANNE SANCHEZ *Doctore Theologo, & Iuris vtriusque peritissimo in suis selectis disputationibus: Vbi postquam varijs in locis, Societatis Auctores miris extulisset encomijs, tandem disput. 43. num. 16. agens de P. Thoma Sanchio in rebus Moralibus vere*

*Et ex singulari filiorum sapientia.*